



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Innocens pro nocente plectitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

culo Callirhoë, stuporêque attonita, in miserationem tam diri officii versa, ipsa quoque semet ad fontem, qui haud procul abest à portu Calydonis, furibunda jugulavit. Sic Cæcodæmon duplex nactus sacrificium, dum virginem petit, simul amatorem haurit, & gemina nece pulchrè sibi litatum ostendit. Scilicet ad aram Bacchi cadebat hic Sacerdos, à qua proximus est ad aram Veneris transitus.

II. (b) Iphigenia Virgo pudica & casta, ob Helenæ nefarii scorti noxam, sub ipsa belli auspicia, immeritâ morte occumbere debuit. Ferè ita fit, ut ob unius atque alterius cuiusdam portentosi flagitia, quandoque integerrimi homines plectantur, Poëta teste:

Dimittit corvos, vexat censura columbas.

Non rarò trahitur ad aram cædenda innocentia; & absolvitur scelus, hoc felicius, quò vesanius. Exultat impius, premitur pius; & in aliena piacula, succedit victima, *Probitus*. Sapientis viri dictum est: *Paucorum culpa, multorum pœna*.

III. (c) Agamemnonem laudans Ovidius canit:

----- postquam pietatem publica causa,  
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem,  
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris:  
Victa dea est, nubemque oculis objecit, & inter  
Officium, turbamque sacri, vocèsque precantum,  
Supposita fertur mutasse Mycenida cervâ.

Charitas, quam pro officio suo reipublicæ debebat Rex, plus potuit, quàm amor, quem filia debebat pater. Sapienter. Propter patriam sua cuique nedum cuiusdam suorum, vita negligenda est. *Curtius* in profundam voraginem se cum equo immittens, vitam patriæ libertati posthabuit. *Genutius Cippus* Prætor, regno prætulit exilium: cum enim responsum accepisset, regem fore, si in urbem revertisset, voluntarium sibi exilium indixit. Duo *Decii* pro Reipubl. incolumitate se devoverunt, è quorum sanguine insperata victoria emerfit; vita illorum victoriæ oberat, mors fecit, ut vinceretur hostis. Inter laudanda exempla, *Codri* Atheniensium Regis est, qui interitu suo fecit, ne Athenæ perirent: Et *Themistoclis*, qui exceptum paterâ tauri sanguinem, institutò sacrificio, hausit, ne oppugnare, à qua exulabat, patriam Persici exercitus dux factus cogereetur. E sacris paginis habemus *Iephten*, qui unigenæ filia cæde, voti religionem exsolvit, & patriæ salutem peperit. Græcis, inquit, Flosculorum historicorum scriptor, facinus hoc placuit, qui Iphigeniam iisdem tempo-

A a a 3

ribus,

(b) *Innocens pro nocente plectitur.* (c) *Charitas patriæ.*